MINOTAURUS erat LABYRINTHI fornice clauſus,
Acri qvem ſtruxit Dædalus ingenio.
Captus & eſt iſto concluſus carcere THESEUS,
Liberat hunc tenui filo ARIADNA malo.
Immiſit cœlo cujus de fronte coronam
Liber, perpetuo ut ſidere clara foret.
Deceptor MONSTRUM eſt, fallacia ſed LABYRINTHUS.
Docta BOHEMIADÆ filo ARIADNA dedit.
Diſcipule, ut THESEUS, feliciter utere filo,
Qvod noſtræ nevit Gymnaſiarcha Scholæ.
Annos Autori gratus vitamq; precare,
Sidera ceu, qvò ſic laurea ſerta micent!

Præcellenti Dn. Autori, Collega Honoratiſſimo ſcrib.

M. Joh. Auguſtinus Egenolphus,
Con-Rector.